



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

56. Vicariatus Episcopi num sit beneficium ecclesiasticum, & conferri
possit in titulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

CAPUT SECUNDUM.

De Dignitate, Præcedentia, & Jurisdictione Vicarii generalis.

PARAGRAPHUS I.

De Dignitate & Præcedentia illius.

Questio 56. Vicariatus Episcopi num sit beneficium Ecclesiasticum, & num conferri possit in titulum?

Respondeo negativè. Azor. p. 2. l. 3. cap. 13. q. 8. & c. 43. q. 8. Pirh. ad cit. de offic. Vicar. num. 33. cum communi. Etsi enim percipiat fructus hujus sui muneris, sui potius detur illi & debeat salarium tanquam merx laboris; hi tamen fructus seu redditus annui ei assignati, jusque ipsum illos percipiendi ratione præstiti laboris, non conferuntur ei in titulum stabilem ac perpetuum, cum ad nutum Episcopi amoveri possit; dum interim beneficium suapte natura est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis. Pirh. loc. cit. Sbroz. l. 1. q. 45. num. 8. & 9. ubi, quod in titulum non confertur Vicariatus Episcopalis juxta c. cum eo. de electione. in 6. & c. pervenit. de appellat. quos textus citat; quia ad libitum Episcopi amoveri potest. Quin & Vicariatus per obitum aut amotionem Vicarii ab officio non vacat, sed finitur ac desinit. Azor cit. c. 13. q. 8. & vel in hoc etiam à beneficio manuali distinguitur, quod licet sit aufferibile ad nutum, dum tamen aufferitur, vacat, & non desinit esse in rerum natura sicut Vicariatus.

Questio 57. Num Vicarius generalis Episcopi sit in dignitate Ecclesiastica constitutus?

Respondeo affirmativè: Azor loc. cit. Pirh. loc. cit. num. 34. Ventrigl. loc. cit. num. 7. Barbof. juris. Eccles. l. 1. c. 15. num. 26. citans Pavin. de potest. cap. sede vac. p. 2. q. 10. num. 16. Fusc. de visitat. l. 1. c. 15. num. 32. Anton. de Pretis. de jurisd. Episc. c. 6. num. 50. (ubi etiam dicit Vicarium esse spectabilem & de medijs Magistratibus) Sbroz. l. 2. q. 22. n. 1. citans quam plurimos alios. Qui Sbroz. etiam n. 3. & ex eo Pax Jord. loc. cit. num. 89. id extendit expressè ad Vicarium Episcopi electi & confirmati nondum consecrati, Fagn. in cap. ad hec. de Preb. num. 26. ubi: per Vicariatum consequitur dignitatem; & quam citat Gl. in Clem. etsi principalis. de rescrip. v. delegatus. Quæ dicit Officiale Episcopi tanquam constitutum in dignitate comprehendi c. statutum. de rescrip. in 6. Habet enim præminentiam cum jurisdictione conjunctam, & ex eadem provenientem. Pirh. loc. cit. dignitas autem consistit in tali præminentia. Fagn. loc. cit. num. 31. & ut idem ibidem num. 34. ex Archidiacono in c. 1. de consuetud. in 6. Dignitas Ecclesiastica cognoscitur ex eo, quod habeat administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione. Quod ipsum declarat Sbroz. loc. cit. n. 7. dicendo, id verum esse quo ad præminentiam seu prærogativam ortam ex jurisdictione, & tribunali Episcopi vel Consistorio, secundum quod ipse est una eademque persona cum Episcopo, & quo ad illam jurisdictionem corrumpat radiis dignitatis Episcopi, sicut Augusta radiis dignitatis Principis, ut idem Sbroz. num. 8. citatis Abb. & Cardin. in Clem. 7. de rescrip. Rebuff. in tr. de Paris. possessor. num. 79. &c. Secus quod ad dignitatem Ecclesiasticam Pon-

tificalem, ut Sbroz. num. 9. quæ propriè residet in Episcopo, & non est communicabilis, & divisibilis; adeoque quo ad illam Vicarius non facit idem consistorium cum Episcopo. Unde etiam Vicarium non dici habere dignitatè propriè & per se stantem ait Sbroz. n. 10. eò quod, ut ait n. 11. si haberet Vicarius propriè dignitatem per se stantem, eò mortuo remaneret dignitas vacans; cum illa non exspiret, sed sit perpetua; Vicariatus autem exspiret morte Vicarii, juxta Clem. ult. in Glof. fin. de procurator. quamvis quò ad hoc contrarium opinetur Cuch. Institut. can. de vicar. cit. 8. num. 7. & seq. l. 2. nempe Vicariatum Episcopalem dignitatem perpetuam continuatamque esse, & in ea dari successorem, delegationemque ad successorem in officio manere. Contra quem vide quamplurimos citatos à Sbroz. l. 1. q. 45. a. num. 7. Sic quoque Vicarium non habere dignitatem strictè, quæ cum alio beneficio sit incompatibilis (de quo paulò post) habere tamen quo ad præminentiam in jurisdictione provenientem, & ex tribunali Episcopi, secundum quò dicit una persona cum Episcopo, ait Fagn. loc. cit. n. 28. De cetero Vicarium generalem Episcopi habere dignitatem cum administratione patet. Sbroz. l. 1. q. 35. n. 5.

2. Secus verò est in Vicario foranco, qui licet administrationem aliquam habeat, nullam tamen habet dignitatem. Sbroz. l. 2. q. 22. num. 14. citans Cardin. Innoc. Anchar. in cit. Clem. 2. de rescrip. Rebuff. in pr. ubi ante n. 4. Vant. de nullitat. ex defectu jurisdictionis. delegat. num. 66. Item in Vicario Archidiaconi, vel alterius Prælati inferioris ab Episcopo. Sbroz. cit. q. 22. num. 17. citans Gl. in cit. Clem. v. Episcopi. & ibi Abb. num. 5. contra Menoch. conf. 277. col. 3. vol. 3. Quid verò jam possit Vicarius generalis ratione hujus suæ dignitatis quò ad delegaciones ei factas à Sede Apostolica, dicitur infra, ubi de potestate illius.

Questio 58. Vicarius generalis Episcopi num sit verè Prælatus?

Respondeo: Absolutè cum Prælatum dicunt Ventrigl. Barbof. locis cit. Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 86. Pignat. Tom. 3. consult. 64. num. 4. ubi Vicarium esse Prælatum constat ex eo, quod exercet totam illam jurisdictionem, quam habet Episcopus; hæc enim jurisdicção constituit Prælatum. Sbroz. vero cit. q. 22. num. 3. ait per Gl. in Clem. auditor de rescrip. Vicarium latè intelligendo dici Prælatum ratione jurisdictionis, quam habet cum administratione. Quin & Prælati nomen ei non congruere, indicat Card. de Luca in miscellan. d. 1. num. 21. dum ait; quamvis autem alii adsint Ecclesiasticam jurisdictionem exercentes, ut sunt Vicarii generales vel capitulares, atque cathedralium & collegiarum Capitula Sede vacante; attamen non verè, sed dativa, vel accidentalis est hæc jurisdicção, vicaria vel provisionalis, adeoque Prælatura nomen eis non congruit.

Questio 59. Num dignitas Vicariatus generalis Episcopalis sit compatibilis cum alia dignitate, vel etiam beneficio curato?

Respondeo: Vicariatus generalis Episcopi non est incompatibilis cum aliis dignitatibus, officiis, personalitatibus, beneficiis curatis, vel etiam

non